Quelle: https://manuscripta.at/?ID=928
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



18

sicut dies unus Non tardat dñs promissis: sed pacienter agit propter nos nolens aliquos perire: sed omnes ad penitentiam reuerti expectat Adueniet autem dies dñi ut fur in nocte in quo celi magno impetu transibunt elementa uero calore dissoluentur Cum hec igitur omnia dissoluenda sunt: quales oportet nos esse in sanctis conuersationibus et pietatibus expectantes et festinantes in aduentum dei dñi: propter quem celi ardentes dissoluentur et elementa ignis ardore tabescent Nouos uero celos et nouam terram: et promissa ipius expectamus: in quibus iustitia habitat Propter quod karissimi hec expectantes: sagitte in lata gaudie macilati et in uiolati ea inuenire in pace

Secundum Matheum

Cap. vi. Videns iohes multos phariseos et saduceos uenientes ad baptismum suum: dixit eis Progenies viperarum: quis demonstrauit uobis fugere futuram iram Facite ergo fructum dignum penitentie: et ne uelitis dicere intra nos: patrem habemus abraham Dico enim uobis: quia potest deus de lapidibus istis suscitare filios abrahe Jam enim securis ad radicem arboris posita est Omnis ergo arbor que non faciet fructum bonum: excidetur et in ignem mittetur Ego quidem baptizo uos in aqua in penitenciam qui autem post me uenturus est fortior me est: cuius non sum dignus calciamenta portare ipse uos baptizabit in spiritu sancto et igni

Sancti Iacobi apostoli

Fructus iustitie semitur in pace facientibus pacem Fratres mei gaudete cum in temptationibus incideritis: scientes quia probatio fidei uestre patientiam operatur Patientia autem habet opus perfectum ut sitis perfecti et integri in nullo deficientes Si autem quis uestrum indiget sapientia postulet a deo qui dat omnibus affluenter et non improperat et dabitur ei Postulet autem in fide nihil hesitans Qui enim hesitat similis est fluctui maris qui a uento mouetur et circumferitur Non ergo existimet homo ille quia accipiet quicquam a deo Vir duplex animo inconstans est in omnibus uiis suis Glorietur autem frater humilis in exaltatione sua Diues autem in humilitate sua quia sicut flos fenis transibit Exortus enim est sol cum ardore et aridum fecit fenum et flos eius decidit et decor uultus eius perit Ita et diues in itineribus suis marcescet Beatus uir qui patitur tentationem quia cum probatus fuerit accipiet coronam uite quam promisit deus diligentibus se Beatus uir qui suffert temptationem quia cum probatus fuerit accipiet coronam uite quam promisit deus diligentibus se Nemo temptatur cum a deo temptatur Deus enim intentator malorum est temptat autem neminem Unusquisque autem temptatur a concupiscentia sua abstractus et illectus Deinde concupiscentia cum concepuerit parit peccatum peccatum autem cum consummatum fuerit generat mortem Nolite errare fratres mei carissimi Omne datum optimum et omne donum perfectum desuper est descendens a patre luminum apud quem non est transmutatio nec uicissitudinis obumbratio